



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 57. Seditiones Judæorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

Sæculum I.
A. C. 54.

*cias; cui Paulus: Oro Deum, ut nihil al-
sit; sed tu, & omnes adstantes hodie fin-
tis, sicut ego sum, solis vinculis exceptis.*
Tunc omnes surrexerunt, eratque senten-
tia omnium, eum esse innocentem, di-
xitque Agrippa ad Festum: *Poteras eum
dimittere liberum, nisi ad Cæsarem ap-
pellasset.* Ratum vero permansit, ut in
Italiam proficisceretur.

§. LVIII.

Seditiones Judæorum.

Jos. XX.
ant. c. 7.

Cum Festus in Judæam advenit, erat hæc
Provincia latrociniis infamis; de-
prædationes oppidorum, incendia, nemo
erat, qui puniret. Sicarii omnia terrore
impleverant. Seductorem quemdam,
qui populo promiserat, se Duce ab om-
nibus malis liberatum iri, multi in deser-
ta secuti sunt; in hos Festus cum pedi-
tum copiis, aliquot equitum turmas im-
misit. Eadem ferme tempestate Rex A-
grippa Jerosolymæ in Asmonæorum Pa-
latio sublimi quodam loco nova concla-
via exstruxit, unde non solum in civita-
tem, sed etiam ex suo cubiculo in ipsum
Templum amœnissimus erat prospectus,
ita ut sibi, quæcunque in Templo fierent,
possent esse perspecta; id vero Jeroso-
lymitarum Præcipui impatientissime tu-
lerunt, eo quod Lege eorum vetitum esset,
ne

ne quæ in Templo fiebant, præsertim Sacrificia, hominum oculis paterent; igitur in Templi aula, quæ ad occasum erat, murum extollunt, qui sua altitudine non solum Regii cubiculi, sed etiam illius Porticus, quo extra Templum ad occasum Romanorum custodia stabat, prospectum prohiberet. Hæc molitio Agrippæ simul, & Festo iram movit, jussitque Festus, ut murus destrueretur; Jerosolymitæ vero opponebant; hujus muri conservationem, sine quo Lex sua, ne Sacrificia cunctorum oculis paterent, salva esse non posset, vita sibi chariorem esse; & licentiam petebant mittendi ad Cæsarem legationem, quod iis concessum. Decem viros miserunt cum Ismaele Summo Sacerdote, & Helquia Sacri Thesauri custode. Romæ Imperatricis Popeæ Patrocinio, cujus in Judæos magna erat propensio, ab Imperatore obtinuerunt, ut murus subsisteret; Helquiam tamen, & Ismaelem Nero quasi obsides retinuit. Agrippa vero in Pontificatus culmen Josephum Cabi dictum, Simonis S. Pontificis filium, promovit.

Sæculum I.
A. C. 54.

§. LIX.

S. Pauli in Italiam iter.

Constante in propositis Festo S. Paulus cum aliis captivis in manus Julii Centurionis